UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Vita Et Virtvtes Venerabilis Patris Lvdovici De Ponte, Societatis Jesu

Lamparter, Heinrich

Jngolstadii, 1662

Cap. V. Amor erga homines.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43978

Visual Library

# CAPUT V.

## AMOR ERGA HOMINES.

### I.

QVod in Moyſe & Apoſtolo miramur, ſic eis cordi fuiſſe aliorum ſalutẽ, ut eius cauſa optarent ex albo amicorum Dei deleri, & in perpetuum ſeparari à Deo, ſi neceſſarium eſſet; hoc & Ludovicum ſenſiſſe reperimus in ejus annotationibus, ubi ſic ſcribit: *Si ad converſionem peccatorum neceſſarium ſit, me in perpetuum ardere in flammis inferni ſine peccato, me offero, DEVS meus, ad has flammas.* Qui quidem non niſi puri puti amoris divini ſenſus eſt, licet eum non aſſecutis videri poſſet alienus à ratione, ut quam nimius amor tranſverſam agat. Nam qui rectè res computat, nihil invenit, quod pro honore & obſequio Dei, cuius unius infinitam pulchritudinem ac bonitatem

*Ludovicus pro aliorum ſalute ſe offert ad pœnas inferni.*

amore

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

amore ſuo dignam æſtimat, impendendum aut exhauriendum ſibi non ſit: majorem autem gloriam ipſi & voluptatem ex improborum ad meliorem converſione, quàm è ſua unius, æterna licet, felicitate provenire: denique parùm ſe dare, ſi ignibus æternis, abſque ſcelere, ſe offerat pro ſalute eorū, pro quibus ſervandis Filium ſuum Devs in immania tormenta, & injurias tradidit.

II.

*Optat omnibus perfectionem ſui ſtatus.*

Hinc natum eſt illud ſtudium ac deſiderium Ludovici, ut omnes homines non ſalutem tantùm, ſed etiam perfectionem ſibi convenientem aſſequerentur. *Ardeant, O* DEVS, inquit in ſuo Commentario, *igne tui amoris Papa & Cardinales, Archiepiſcopi & Epiſcopi, Parochi & Sacerdotes, Generales & Provinciales, Priores & Guardiani, Rectores & Superiores, Concionatores & Confeſſarij,*

*rij, Scholaſtici & Novitij, & omnes Religioſi. Ardeant Reges & Principes, Gubernatores & Judices, & Seculares. Ardeant Gentiles & Judæi, Mauri & Heretici, & mali Chriſtiani. Abſumatur in illis omne peccatum, liberentur omni errore & ignorantiâ, inflammentur amore ſui Conditoris.* Eundem animum oſtendit cuidam filię ſpirituali, quæ cùm apud eum deploraret ſuam in virtute procedendi tarditatem, adderétque ſuum ei progreſſum videri curæ non eſſe, reſpondit; ſe verò tantam curam habere promovendi omnes, qui ſecum agunt, ut nihil ſit in mundo, quod etiam pro quolibet exiguo eorum profectu facere paratus non ſit. Quod quidem ſatìs apparuit in ijs, de quorum excellenti ſanctimonia, per ipſius inſtitutionem adepta, libro priore meminimus. Quibus addamus híc obiter Marinam Hernandez, quæ mortuo ma-

*Virtus Marinæ.*

rito,

*Hermã-dez.* rito, ſe in ſodalitium virginis Ma-rinæ de Eſcobar dedit, omnes fa-cultates ſuas effundendo in paupe-res, ipſa interim nihil genio corpo-rive indulgens: qua vitæ diſciplina, excelſum orationis, & contempla-tionis donum, cum ampliſſimis favoribus divinis promerita, com-plures conſilio & exhortatione ad inſignem probitatem perduxit, de-quinquageſimo ſeptimo ætatis an-no; inter conſpicuas Angelorum, ipſam circumſiſtentium, acies, Tu-telari manum capiti ſupponente, Marina virgo gratulabunda mori-entem vidit.

III.

*Miſſionẽ Indicam cõpenſat ſtudio ju-vandi homines in Euro-pa.* Eodem hominum Deo addu-cendorum ſtudio incitatus, effi-ctim expetiit profectionem ad In-dos: quæ cùm non concederetur, totum ſe quorumlibet in Europa juvandorum curis addixit, nulla neque injuria, neque infirmitate,

neque

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

neq; incommodo ſuo abſterritus. Ita Capellanum quendam, turpiter ac diſſolutè ſe gerentem, leni primùm admonitione, tum etiam correptione ſevera, pro poteſtate, quam in illum habebat, ad frugem revocare conatus eſt, illo graves contumelias, & convitia, in eum plenis buccis jaciente: jámque manus ei pruriebant in verbera, non omiſſuro, niſi ab intervenientibus impeditus fuiſſet. Ludovicus autē eadem hilaritate verbera paratus erat excipere, qua injurias verborum acceperat: qui operam ſuam nemini, etiam cùm malè ipſe valeret, clauſam voluit, ut ſuprà demonſtratum eſt. Vnde infirmariū, quiquendam, dum ipſe lecto teneretur, miſſum fecerat, graviter admonuit, ne quenquam ullo ſuo tempore poſthac dimittat: velle, enim ſe conſtare omnibus, nunquam incōmodum ſibi eſſe, cuiuſlibet

*Fert contumelias improbi Sacerdotis.*

*Nec in morbo ulli negat operam ſuā.*

libet neceſſitati ſpirituali ſervire. Neque ſinebat eos abire, qui conſpecta ejus infirmitate, ut ſine magna moleſtia verba proferre non poſſet, negotia ſua in aliud tempus differre volebant: aſſerens id non grave ſibi accidere, ſed levare dolores; quod & reipſa expertus eſt, ſua illum diligentia, an divina virtute, corroborante. Quæ virtus etiam interdum ab eo in ægros, quibuſcum egit, redundâſſe viſa eſt, quando poſt ejus alloquia meliùs habuerunt: ut alio loco dicetur.

## IV.

Tam intentus fuit aliorum auxilio, ut indefeſſus diu noctúque ſe illis impenderet, vel ſcribendo, quod illis prodeſſet, vel aliquid muneris ex inſtituto Societatis erga illos obeundo, tam obſtinatè, ac ſi corpore non teneretur: cúmque videret alios ſui miſericordia tangi, id

id ipſe non pro remiſſione, ſed pro incitamento accepit: quòd iſtiuſmodi laboribus temperari putaret ſibi vim ſuorum malorum. Joannes de Benavides viginti annorum uſu intima quæque ipſius cognoverat. Hic in ſua Relatione informationem rerum ejus dedit in iſtam ſententiam. *Indefeſsè pro bono animarum laboravit hic ſervus Dei, nec ad momentum quidem ceſſando, adeò ut cùm præ infirmitate neque ſedere poſſet, neque pedibus conſiſtere, è genibus, vel acclinatus lateri ſellæ, aut lecti, ſcriberet libros, quos edidit, vel conſulentibus reſponderet, domeſticis & externis. Sic etiam in confeſſionali hærebat cum incredibili moleſtia, ut neque fatigaretur, aut remitteret quidquam de procuratione ſalutis alienæ, propter debilitatem, aut malam conſtitutionem corporis. Et verò ſub ultimos dies vitæ ipſius, perdito jam uno oculo, & altero penè conſumpto, tumeſcente*

 *pectore,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*pectore, cum graviſſima difficultate ſpirandi, venerabilem virum, aſpicienti mihi ſæpe lachrymis natarunt oculi, cùm exararet Commentarios in Canticum: cúmque obteſtarer eum, ut à labore deſiſteret, quòd ſatis jam operis eſſet, nec ſine magno detrimento vitæ poſſet ei ampliùs incumbere, ore mihi ridibundo reſpondit; illa ſe opera non laborare, ſed recreari ab ægritudine.* Sic ille. Ludovicus inter hæc omnia querebatur, quòd jam alijs prodeſſe non poſſet: ideo dicebat hoc unum ſibi reſtare, ut eos, qui ſtudent aliorum ſaluti, per aſſiduas orationes Deo commendet, quò uberior ſudoribus eorum fructus reſpondeat.

*Dolet ſe alijs prodeſſe non poſſe, niſi orando pro his, qui poſſunt.*

V.

Quâ ſolicitudine curaverit infirmos domi ac foris, aliàs diximus: fuit cùm cuidam non alio morbo, quàm naturali quodam timore laboranti, integrum tempus veſpertinum

ſpertinum dedit, ſuavibus de Deo ſermonibus animum ei revocando. Neque ullas unquam occupationes cauſabatur, quo minùs cuicunque indigenti curſim veniret ſuppetias, quantumvis temporis parciſſimus eſſet. Vocatus aliquando ad templum, non reperta ibi matrona, quæ illum vocari curaverat, reverſus eſt ad ſuum cubiculum, etſi nôſſet eam mox adfuturam; ſicut etiam adfuit, cùm paulò plus, quàm duos verſus ſcripſiſſet. Admiranti hoc æditũo reſpondit, omnem temporis articulum ſibi magno eſſe in pretio. Cùm in comitijs Provinciæ, quæ tunc Medinę Campi coacta erant, verſaretur, ſive ſolita ſua ſolicitudine, ſive divino ſpiritu inſtinctus, veniam ante ſoluta comitia impetravit, Villagarciam redeundi. Erat ibi Novitius, à Deo ſingulari ſæpe gratia, quin & revelatione cœleſtium re-

*Liberat quẽdam ab illu-*

*ſione diaboli.* rum dignatus: at cui, ut amat, cacodæmon ſubrepens incauto, ſub ſpecie ſancta, graviter impoſuit. Advolavit Ludovicus in tempore, & hominem ità circumventum reperit, ut credens brevì imminere ſibi mortem, nihil ampliùs cibi ac potionis vellet admittere: quòd fruſtra ſit, præſente jam fato, corpus curare. Excepit Ludovicus; cùm ergo ſtatim ſis exhalaturus animam, illi hoc ſupremum beneficium confer, ut comedens ornes eam novo merito obedientiæ. Hoc argumento convictus obedijt, comedit, fraudem ſtygij veteratoris agnovit. Vbi neſcias, curam, an dexteritatem, Ludovici præponas.

VI.

*Aliena peccata deplorat, ac punit in ſeipſo.* Peccatis aliorum ſic urebatur, ſic ea deplorabat, ſic caſtigabat in ſuo corpore, ac ſi ipſe patrâſſet: quando erat occaſio, tanta vi argumentorum, tanta contentione

vocis

vocis, & omnium nervorum id agebat, ut omnibus perſuaderet, ne ullius unquam rei cauſa, DEVM vel leviſſima culpa auderent offendere. Tantus erat ardor dicentis, ut ex oculis viderentur ſcintillę abſiſtere, ex ore verba ignita profluere: denique vir corpore pænè exſangui, ſe ipſo robuſtior eſſe: quare non pauci vitæ ſuæ rationes emēdare, negotia quæſtuoſa metu peccandi deſerere, noxas etiam leves vitare pro viribus: nihil omittere, quo animi ſui nitor clareſceret magìs in dies.

VII.

Adjungamus, quæ religioſa quædam ſibi divinitus oſtenſa retulit ſacris judicibus. Aliquoties in oratione viſum eſt ei templum operis admirandi, cum pulcherrimis columnis ex alabaſtro: quo, interprete Angelo, deſignabatur S. Eccleſia Catholica, fundata ſuper Fide



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

noſtra ſincera. In qua multi ſunt ſancti illuſtres, quos Eccleſia colit honoribus; alij verò minùs noti, quos DEVS tantiſper habet in ſacris theſauris providentiæ ſuæ, donec ſit tempus eos manifeſtandi: quos inter etiam ſit Venerabilis P. Ludovicus de Ponte. Cujus illuſtria merita repręſentabat corona, cum ſex ſtellis, ita fulgentibus, ut totum ab ijs templum illuſtraretur: quarum unâ ſignificabatur flagrans ejus amor erga DEVM, & homines, cum ſtudio ſuccurrendi illis, quantum poſſet in qualibet egeſtate corporis & animæ: alterâ ſumma innocentia vitæ, quæ magìs Angelo videretur convenire, quàm homini mortali: aliâ humilitas, ac profunda demiſſio: aliâ ſtudium ac diligentia in contemplandis rebus divinis; quintâ devotio, ſpirans ac relucens in omnibus ejus actionibus: ultimâ ardens cupiditas

tas amplificandi gloriam Dei. Pendebat verò corona ſublimis in aëre; quo Deus indicabat ſanctitatem viri quondam in Eccleſia celebrem, & operibus conſpicuam fore.

## CAPUT VI.

### *NITOR ANIMÆ LUDOVICI, ET ABNEGATIO.*

I.

Amor, quo Ludovicus ferebatur in Devm, ſummam ei curam injecit, ne quid unquam labis prudens ſciens admitteret, quo puriſſimos illos oculos Dei, ſummè ſibi dilecti, offenderet. Tres viri graves, qui generalem ejus confeſſionem de tota vita exceperunt, ſanctè teſtati ſunt, eum nunquam excidiſſe innocentiâ, quam in ſacro Baptiſmo fuerat conſecutus. Jmò firmiſſimè propoſuerat ſibi, cavere omnem o-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN